



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **CASTAGNALENSIS DE PARÁ** IN BRASILIA
NOVA CONDITUR DIOECESIS

CASTAGNALENSIS DE PARÁ Ad efficacius providendum spirituali bono Christifidelium, Venerabiles Fratres Vincentius Ioachimus Zico, C.M., tunc Archiepiscopus Metropolita Belemensis de Pará, et Aloisius Ferrando, Episcopus Brigantiensis de Pará, audita Conferentia Nationali Episcoporum Brasiliae, ab hac Apostolica Sede petiverunt ut, ecclesiarum circumscriptionum sibi concreditarum dismembrato territorio, nova dioecesis conderetur. Nos, habito antea faventi voto Venerabilis Fratris Laurentii Baldisseri, Archiepiscopi titulo Diocletianensis et in memorata Natione Apostolici Nuntii, de consilio Congregationis pro Episcopis admotae postulationi libenter concedendum putavimus rati id animarum saluti esse valde profuturum. Summa igitur Nostra potestate sequentia decernimus. Ab archidioecesi Belemensi de Pará separamus territorium, prout in praesens lege civili circumscribitur, municipiorum quae patrio sermone nuncupantur Castanhal, Igarapé-Açu, Capanema, Colares, Curuçá, Inhangapi, Magalhães Barata, Maracanã, Marapanim, Nova Timbotêua, Peixe-Boi, Primavera, Quatipuru, Salinópolis, Santa Isabel do Pará, Santa Maria do Pará, Santarém Novo, Santo Antônio do Tauá, São Caetano de Odivelas, São Francisco do Pará, São João da Ponta, São João de Pirabas, Terra Alta et Vigia; a dioecesi autem Brigantiensi de Pará seiungimus territorium, prout in praesens lege civili circumscribitur, municipii São Domingos do Capim; atque ex ita distractis locis novam constituimus dioecesim Castagnalensem de Pará, quae iisdem limitabitur finibus, quibus praedicta municipia, simul sumpta, prout in lege civili nunc exstant. Sic conditae Ecclesiae sedem in urbe *Castanhal* ponimus, ibique templum paroeciale situm, Sanctae Dei Genitrici dicatum, ad gradum et dignitatem ecclesiae Cathedralis evehimus mandantes ut ibidem Canonorum Capitulum instituatur ad normam iuris. Praeterea dioecesim Castagnalensem de Pará suffraganeam facimus metropolitanae Sedi Belemensi de Pará eiusque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi pro tempore eiusdem metropolitanae Ecclesiae subicimus. Cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Quae statuimus, perficienda committimus memorato Venerabili Fratri Laurentio Baldisseri vel, absente eo, illi, qui curat negotia Apostolicae Nuntiaturae in Brasilia, eisdem tribuentes necessarias et oportunas facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito Congregationi pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae executionis, cum primum fas erit, mittendi. Hanc denique

Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die undetricesimo mensis Decembris, anno Domini bis millesimo quarto, Pontificatus Nostri vicesimo septimo.

ANGELUS card. SODANO Secretarius Status	IOANNES B. card. RE <i>S. Congr. pro Episcopis Praefectus</i>
--------------------------------------------	------------------------------------------------------------------

Laurentius Civili, *Protonot. Apost.*

Brennus Chestle, *Protonot. Apost.*

*A.A.S., vol. XCVII (2005), n. 3, pp. 279-281

© Copyright 2004- Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana